

A perueniente sternutatione, patiens aliquantulum leuatur, non solum quia bonum est signū sternutatio sponte adueniens ījs, quae ita se habent mulieribus, sed quoniam & causa, ut quae sit huius passionis remedium. Signum itaque bonum existit, quia naturam ostēdit, quae prius obstupuerat, excitari ac reuiuiscere, & propriarum meminisse motionum: quando aliquam ej̄cit superfluitatem. Ostensum est enim in libro De causis accidentium, sternutationem hac ratione fieri. Causa autem, ob quam iuuat est, quia uehementiore concusso atq; feroore partim quidem naturam excitat, partim uero excernit, quae partibus corporis firmiter infixā adhærebant. Sic enim & singultum sanare solet.

*Mulieri menses decolores, nec per idem semper tempus uenientes, purgationem indicant esse necessariam.*

B 36 In multis exemplaribus scripturam ita se habentē possimus inuenire: Mulieri menses tardi, nec per idem semper tempus uenientes. Possunt igitur & menses tardi, hoc est, qui post consuetum ueniunt circuitum, purgatione indigete humoris pituitosi, ob quem & decolores sunt: non tamen egemus hac sola necessario. nam & per extenuantem aliquando uictum tales dispositio-nes sanauimus. Scriptum autem est à nobis de hoc extenuanti uictu, libro uno seorsum. Suffitus insuper aromatum idem facit, & qui eandem isti uim habent, pessi adhibiti, epotacj medicamen-ta, quae incident, & humorum crassitudinem extenuant, quale est, quod calamentho fit, quo nos assidue utimur, quodq; s̄p̄ius tardantes mensium purgationes exciuit. Nam intentio sanationis in ipsis est, cum ora uasorum aperire, quae pertingunt ad uterus, tum sanguinem extenuare. Ac sane quidem purgatio totius corporis, ut dixi, quando crassi euacuantur humores, tales sanat di-spositiones. Si uero, decolores, scriptum sit, multo magis purgatio sanabit ita se habentes mulie-res. Neq; enim propter humorē pituitosum tantummodo, sed & propter melancholicum & bi-liosum menses sunt decolores. Quomodo igitur dignoscere oporteat humorē superabundan-tē, ipse in primo De muliebris docuit: nunc autem, q; per purgationem euacuādum sit: idem monstrauit. Verba autem illa, nec per idem semper tempus uenientes, huic scripturā magis con-sonant: ut totus sermo sit talis: Si menses decolores fiant, & non per idem tempus ueniat, quo ante uenire consueuerant, mulier purgatione indiget. Contingit enim in mulieribus, quae malos humores habent, non modo decolores apparere menstruas purgationes, sed etiā tempus periodi non seruari: siquidem crassiores fuerint humores, & difficilius fluentes ījs, qui secundum naturā se habent, morando, & longius tempus expectando: sin autem contrarij, hoc est humidiores ac tenuiores, consuetum terminum anticipando.

C 37 Mulieri utero gerenti si mammæ graciles repente fiant, abortit.

Hic pariter Aphorismus ex illorum numero est, quos diximus defectum alimenti foeti signi-ficare. Cōmunes enim quædam uenæ sunt mammis ac uteris: quæ, ubi parum habuerint sanguinis, graciles quidem mammas reddunt, atrophia autem i.alimenti cessatione non nunquam fo-etus perimunt, nō nunquam etiam ad excretionem excitant, illam ob causam, quam ipse in libro De natura foetus, per hæc uerba explicat: Alimentum atq; auctio à matre ueniens, non amplius est infantī sufficiens, quādo decem menses præterierint, & foetus auctus fuerit. Trahit enim à san-guine ad se id, quod est dulcissimum: & simul etiam lactis parte aliqua fruitur. Vbi uero hæc illi-raria fuerint, & iam infans molem corporis habet, plus cibī requiriens, quā illud, quod adest: cal-citat, & membranas dirumpit. Liquet igitur, q; & ante decem menses foetus est indigens alimen-to, & calcitrans, ac membranas dirumpens initium partus matri affert.

D 38 Mulieri utero gerenti si altera mamma gracilis fiat geminos habenti, alterum abortit: & si quidem in mamma dextra gracilis fiat, mare: si uero sinistra, fœminam.

Quod suprascriptus Aphorismus de ambabus māmis dicebat, hoc in altera iste dicit. propter illam uero, quam diximus de uenis communibus causam, is, qui ē directo est māmæ factæ graci-loris, foetus abortum patitur. Quod autem existentibus geminis, altero mare, altero fœmina, si dextra quidē māma gracilis fiat, solus mas: si uero sinistra, fœmina sola corrumpatur: ex illa ipsius pendet opinione, qua mares quidē in dextris, fœminas uero in sinistris magis concipi opinatur.

E 39 Si mulier, que neq; grauida est, neq; peperit, lac habet: huic menstrua deficerunt.

Ratio quidem longior existit: & oportet illum, qui eam exquisite assēqui debeat, exercitatum esse in libris De potentij naturalibus. Tantum tamen de his nunc à nobis dicetur, quantū breuis simē dictum possit ad præsentia conferre. Hoc quidem cōmune est omnibus animalis partibus, quae aptæ sunt humores aliquos utiles generare, aut ad usum aliarum partiū, aut ad generis pro-pagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorē illum quandam ueluti superfluitatē partiis ipsum generantis. Non. n. quia norit, ad quid utilis erit humor animali, ipsius facit pars ge-nerationem, nisi debeat talem habere intellectum, quale habere ciuitatum gubernatores arbitramur oportere, sed animalis, quidem opifex illum habet intellectum, ipsa autem pars (ut ostendit) potentij regitur naturalibus, cum alijs quibusdam, tum alteratiua, per quā assimilat ali-mentū sibi ipsi. Quātum igitur alimēti ab ipsa alterati fuerit nutritio corpori exquisite assimilatū,

illi apponitur parti, ac nutrit eam. & hoc est, quod ipse ait: Alimentū est, quod alit, & quod est ue-  
luti alimentū, & quod debet alere: superflū uero, quod superest. similis autē naturae partis humor  
existit, in ossibus quidem id, quod in cæternis eorū continetur, in hepate uero sanguis: ex hoc ge-  
nere est & spumeus humor, qui in carne pulmonis cōtinetur, & qui in articulorum compagibus  
glutinosus humor, & id, quod in testibus, & in uocatis parastatis, semen, & qui in lingua, cui no-  
men saliuia. Sunt autem & quidam in mammis adenæ, uim habentes id, quod ad eos influat, sibi  
ipsiis assimilandi. Cum ergo hi sint exangues & albi, proprium efficiunt humorem, talem, qua-  
le est lac, eiusq; maiorem copiam, quo plus alimenti defertur ad ipsos. Plus uero defertur octauo  
& nono mense conceptionis, qñ abundanter oppletæ sunt communes uenæ mammarum & ute-  
ri, sicuti in animalium prægnantium dissectionibus manifeste conspicitur. Fit autem & tale quan-  
doq; licet raro, cum mulier grauida non est, qñ ad similem peruererint uenæ repletionē ex men-  
struorum retentione: cuius nunc dispositionis Hippocrates meminit.

- 40 Quibusq; mulieribus ad mammae sanguis colligitur, furorem significat.

Quod quidem sanguis ad mammae feratur, deinde ab adenibus, qui ibi sunt, in lac transmute-  
tur, in præcedenti scriptum est Aphorismo: Nunc autem, qñ intransmutabilis māserit hic, qui ad R  
eos sanguis peruererit, furorem ait Hippocrates significari. Ego quidem nondum hoc accidisse  
uidi: & si quando eueniatur, ex ijs est, quæ raro eueniunt. Hippocrates uero, ut qui uiderit, scribit. et,  
si uerum sit, talem ipsius oportet causam existimare. Adenū natura, illorum præsertim, qui in  
mammis sunt, exanguis est, & proculdubio frigida: omne. n. exangue frigidum. Atq; ideo sanguine-  
m, qui defertur ad ipsos, ad frigidius commutat. Quanto enim adenæ hi sunt hepatis carne fri-  
gidiores, tanto lac sanguine. Cum igitur multus aliquando sanguis & feruens per totum labitur  
corpus, & caput præcipue petit: in furorem uertuntur, quoniam sanguis talis occupat caput. Qui  
uero ad mammae defertur: ad contrariam naturam alterari non poterit ita, ut lac fiat, tum propter  
feruorem, tum propter exuperantiam.

- 41 Si uelis noscere, an conceperit mulier: cum dormitura est, ei aquam mulsam potandam da: & si alii tormina patietur, concepit: si  
minus, non concepit.

Tormina fiunt quidem propter mordacitatem, fiunt etiam propter spiritum flatusum, qui fa-  
cilem non habet exitum. quæ tormina fieri nunc est arbitram in mulieribus, quæ conceperūt,  
propter eam, quæ fit ex utero, angustationem. Dat autem aquam mulsam mulieri dormitare, cru-  
dam uidelicet: qm qualitas flatusa (si noscere uolumus) est necessaria: uolens & quiescere simul, G  
& plenam esse cibis mulierem. hæc. n. ambo conseruent ad torminum generationem.

- 42 Mulier, si marem concepit, bene colorata est: si uero foeminam, male colorata.

Vt ad seipsum muliere collata uidelicet, non autem ad alteram, dictum est ab Hippocrate in-  
dicium, quod ex bono colore ac malo sumitur. Nam, quæ foeminam concepit, minus seipso colo-  
rata appetet: quoniam frigidior est foemina mare. Nunquā uero talem concepisset, nisi & viri se-  
men & uterus mulieris frigidior eo tempore fuisset, in quo cōcepit. Quare, quod dicitur, ex eorū  
numero est, quæ sèpius eueniunt. Contingit enim ita omnia recte agere mulierem post tempus  
conceptionis, ut bene colorata fiat. Liquebat autem, quod & alia signa sunt, quæ significant marem  
esse conceptum: sicuti ipsius conceptus plurimæ ac ualidæ motiones: quæ tamen neq; ipsæ, signa  
perpetua sunt. Contingit enim aliquando, licet sit rarum, quod concepta foemina sit mare robu-  
stior, & multis ac ualidis motibus moueat: contingit etiam, ut aliquando mas sit debilior foemi-  
na, ac paucioribus debilioribusq; motibus cieatur.

- 43 Si mulieris grauidæ in utero sit erysipelas, letale.

Nunquid solum erysipelas in utero mulieris grauidæ constitutum, putat esse letale, an illam  
etiam, quæ proprio nomine dicitur phlegmone, hoc est inflammatio? Quod enim factio in utero  
erysipelate, foetus moriatur ex necessitate, manifestum est. quandoquidem & febres acutæ aliquā  
sine erysipelate ipsum interficiunt. An uero utero inflammationem paciente, possit aliquando  
foetus uiuere: dignum est inquisitione.

- 44 Quæcunq; præter naturam tenues existentes, utero gerunt, abortiunt prius, quam crassescant.

Secundum tres modos intellexerunt exposidores libri huius, præsentis Aphorismi sententiā.  
Quidam enim omnino arbitrantur ipsas abortire: quidam uero, si non crassescant & reficiantur,  
sed maneant absq; refectione, ac tenues: quidam uero, cum reficiuntur, tunc maxime eas existi-  
mant abortire: quod minus uidetur, quam prius dicta, uerisimile. Vertūtamen ita exposuit Nu-  
mesianus, dictum inquiens esse Aphorismum in ijs, quæ præter naturam extenuatae sunt, & quas  
prius refici oporteat: sed, cum concipere anticipent, eas non posse refici ait absq; q sanguis ad cō-  
ceptus alimentum deputatus, ad eius, quæ concepit, nutritionem assumatur: quare non absq; ra-  
tione foetus sufficienti indigenis alimento, corruptitur. Sed et uerba illa, Præter naturam tenues,  
quidā ita acceperunt, sicuti Numesianus, ut præter sui ipsius naturā grauida mulier sit extenuata.

Quidam

**A** Quidam uero magnum excessum dicunt significari, uolente Hippocrate nobis insinuare, non p  
mediocriter extenuata id ex necessitate patientur, sed quæ ualde sunt extenuatae. Vtraq; autem  
expositio non caret ratione.

**45** *Quaecunq; mediocriter corpora habentes abortiunt secundo, aut tertio mense sine occasione manifesta, ijs acetabula uteri plena  
mucoris sunt, & non possunt ex pondere foetum continere, sed dirumpuntur.*

Sine manifesta occasione ait, febre uehemente, uel alui fluxu, uel profluvio sanguinis, uel erysi  
pelate in ipso utero constituto, uel saltu grauidæ mulieris uehementiore, uel clamore, uel tristitia,  
uel ira, uel timore, uel uitu parciore, uel alio aliquo actu seu passione. Est enim uerisimile in  
his esse plena mucore ora uasorum uenientium ad uterum, ex quibus secundæ pendent: quæ ora,  
acetabula nominauit, nō (sicuti quidam arbitrantur) adnatas ipsis carnes adenofas. Nam, ut ipse  
inquit in primo libro De passionibus muliebris, Si acetabula plena fuerint pituita, mestrua fiūt  
pauciora: & Praxagoras in primo De naturalibus, Acetabula, inquit, sunt ora uenarum et arteria  
rum, quæ feruntur ad uterum.

**46** *Quaecunq; præter naturam crasse, non concipiunt utero: ijs omentum os uteri comprimit, & prius, quam extenuatæ fuerint,  
B. non concipiunt.*

Verba, præter naturam, dupliciter etiam hoc loco accipiunt. quidam. n. excessum significari ar  
bitrantur: quidam præter ipsius mulieris grauidæ naturam. Verior est autem prior acceptio; nam  
ab omenti pinguedine comprimitur, atq; angustatur uteri os ijs, quæ supra modum crasse sunt.  
appellat autem nunc os, illud, quod intus est, ubi uterus quidē desinit, collum uero incipit: quod  
magis proprie os uteri diceretur. Nam altera collii extremitas, quæ muliebri pudendo coniungi  
tur, non uteri, sed ipsius collii os haud sine ratione uocaretur.

**47** *Si uterus ea parte, qua coxae incubuit adiacetue suppurratur, medicamentis per linamenta curetur necesse est.*

In coxam uteri partem inclinatam, quia per concerpta & medicamentis conuenientibus ob  
lita linamenta curationem requirit, ob id ea μεταποτον appellauit, quasi dicas concerptis linteolis  
curādam. Nā quod uterus, si suppurrauerit (suppuratione præsertim extorsum uergente, id quod  
nunc indicare uidetur) tali necessariò curatione egeat, nemini est in obscuro.

**48** *Foetus, mares quidem in dextris, fœmine uero in sinistris magis.*

Quod propter temperaturam, quæ statim ab initio calidior existit, foetus masculus generatur,  
C in commentarijs de semine, est demonstratum. Calidior uero temperatura foetibus aduenit non  
minime ob locum, qui est dextra uteri pars: hæc autem calidior statim existit propter hepatis ui  
cinitatem. conferet autem aliquid ad conceptus caliditatem & muliebre semen profusum quidē  
ex proprijs testiculis per utrunc; corniculum, partim in dextrum uteri sinū, partim in sinistrum,  
dissimile tamen: ut & hoc ipsum ostendimus. Si igitur serosius est atq; frigidius, quod in sinistro  
testiculo continetur semen: etiam iuxta hoc conceptus in laeva parte uteri constitutus, non absq;  
ratione fuerit frigidior. Dictum autem est de omnibus talibus sufficienter etiam in quinto libro  
sectionis Hippocratis.

**49** *Ut secunde procidant, sternutatorio imposito, nares apprehendito & os.*

Nō cum accentu circūflexo ultimam syllabam υστρωμ, legere oportet, ut significet uterum, sed  
cum graui υστρωμ, ut secundæ intelligantur. Neq; n. uult uteros ipsos excidere, tētione facta cum  
medicinis sternutare facientibus, sed ea, quæ chorūa uocantur atq; secundæ.

**50** *Mulieri si uelis menstrua cohibere, cucurbitulam quam maximam ad mammas appone.*

Sicuti menstruorum, quæ aut parce, aut nullo modo fluunt, curationem Hippocrates docuit:  
Dita & nunc illorum, quæ ultra modum euacuantur, docet, iubens nos cucurbitulam quam maxi  
mam mammis apponere. Melius est autem non mammis ipsis cucurbitulam adigere, sed inferius  
sub ipsis eam affigere, potissimum, ubi sunt uenæ, quæ ad ipsas desubterueniunt. Saneq; non nul  
lis his uerbis Aphorismum scribunt, Cucurbitulam quam maximam sub mammis pone. Vult au  
tem quam maximam esse cucurbitulam, ut fortiorem faciat ex utero ad superiora reuulsionem,  
per communes id uenas artificiose molitus.

**51** *Que utero gerunt, ijs uteri os comprimitur.*

Maximū hoc est mulieris, quæ concepit, indicium, si obstetrix potuerit immisso digito os uete  
ri tangere. Statim. n. cum semen intra seiphas acceperint, totum sui interius spatium contrahunt, et  
os claudunt. Videtur autem & propter durum tumorem & inflammationem os uteri comprimi.  
Distinguiturq; ab eo, qui in grauidis, ex duritie uteri.

**52** *Mulieri utero gerenti si lac multum è mammis effluat, foetum imbecillum significat: si uero mammæ solide fuerint, foetum signifi  
cant saniorem.*

Illo uidelicet tempore fluit lac, quibus uisum fuerit fluere, quando natura fert, ut in grauidis ge  
neretur. Neq; enim in primis generatur mensibus. Quod autem omnino fluat, & non maneat in  
tus,

tus, hoc ideo sit, quia plurimum ex eo colligitur. Plurimum uero colligitur oppletis uenis communibus, quæ à mammis pertingunt ad uteros. Sed adhuc magis implentur, quando minimum conceptus assumit. Hoc uero ipsum fit ob eiusdem conceptus imbecillitatem. Liquet igitur, neq; mammas tenues oportet apparere, sicuti in muliere non grauida: (hoc enim signum defecatum sanguinis ostendit, & hac ratione fœtus in ipsis corrumpitur) neq; adeo plenas, ut lac effluat, sed tantum subleuari, ut solidæ tangentibus uideantur. Media enim est hæc consistentia inter renitentes propter nimiam repletionem, & molles ac laxas propter defectum sanguinis. Quare merito laudat hoc signum Hippocrates, ut quod indicio sit neq; fœtum esse imbecilem, neq; deficere ipsi alimentum.

53 Quæ corrupturæ sunt fœtus, ijs māmæ extenuantur: Si uero rursus dure fiant, dolor aut mammæ, aut coxas, aut oculos, aut genua infestabit, & non corrumpent.

Prius dixerat, Mulieri utero gerenti si mammæ repente extenuentur, abortit. Dixerat etiam, Et si altera mamma extenuetur geminos habenti, alterius fœtus abortum secuturum: Nunc uero ordinem consecutionis commutauit, & non à signis, sed à mulieribus fœtum corrumpentibus fecit initium, ipsis præcedere inquirens mammas tenues. Non est autem omnino idem, si dicatur ad māmas tenues lequi corruptionem, & futuræ corruptioni māmas tenues præcedere. Qui natus ad mammarum extenuationem sequi corruptionem: hic istud solum ostendit esse signum futuræ corruptionis. Qui uero dicit ijs, quæ debent corrūpere fœtus, mammæ extenuari: non hoc solum uidetur ostendere signum præcedere fœtus corruptioni. Quare diligentius inquirendum est, & obseruandum in ijs, quæ apparent in mulieribus grauidis, nunquid aliter fœtum corrumpant necne, sed semper præcedat māmarum extenuatio. An saltantibus, uel magnopere uociferantibus, uel ira excandescentibus, uel nimio repente pauore correptis, contingit quidē interdū māmarum non præcedere extenuationē: Contingit aut & in quibusdā, ut propter magnitudinē febris, aut factū in utero erysipelas, uel mucorem acetabulorum, aut aliquid aliud tale, fœtus corrūpatur absq; māmarum extenuatione. Cæterum uidetur Hippocrates existimare hanc semper præcedere: & mihi saepius obseruanti uisæ sunt in supradictis occasionibus ante corruptionē māmæ fuisse extenuatae. Nunquid igitur, qñ citra aliquam huiuscmodi causam māmæ extenuant, defectū sanguinis esse in uenis utero mammisq; cōmunitibus, in causa existimare debemus: unde propter nutritionis cessationē fœtus corrumpitur: In alijs uero causis, in quibus aut propter passionem interit, aut dirūpitur fœtus, cum ipsum mēbranæ cōtinentes diuelluntur, natura os uteri adaperiēt, & dolores excitante, ob has ipsas causas sanguinē ad genitales deferri partes: Hæc n. est quædā ratio cōmuni, in quibus natura aliqd uiolenter excernit, ut eo sanguis ac sp̄ritus tendar: qbus duobus ueluti instrumentis natura utens, ea, quæ infestat, per uim expellit. Atq; hac ratione dolentibus partibus inflammationes adueniunt, natura excernere atque expellere causam doloris properat: ut uero hoc faciat, sanguine ac sp̄ritu locum implente. Hæc itaque à me dicta sint in primam partem Aphorismi. Secunda uero, quæ sequitur (in qua contraria māmarum membrinū dispositionis) talis est: Si uero rursus mammæ duræ fiant. Cum uero dictio, rursus, (Græce πάλιν) duo significet in huiuscmodi locutionibus, alterum quidem, quod antedictæ coniungit dispositioni, alterum uero, quod per alia uerba dici consueuit uice uersa: mihi uerius, & magis Hippocratis sententiæ cohærere uidetur secundum significatum: ut, quod in toto dicitur Aphorismo, sit tale: Mammæ quidem tenues omnino præcedunt fœtum corruptionem: et nō possunt isti corrumpi sine earum extenuatione præcedente. Duræ, corruptionem quidem non significant, sed dolor quidam dictarū partium ad ipsas consequitur: ut, sicuti mammæ tenues, defectus sanguinis significationē habēt: sic duræ, multitudinis: differentes ab illis, quas paulo ante dixerat solidas, in quibus rursus reponente natura ad quasdam partes materiam inutilem, illæ dolent, sed fœtus nullā habet offensionē. Quæstio aut̄ occurrit hoc loco, ob quā causam ad corpus uteri natura nunq; materiam reponit inutilem, & non facit inflammationem: uel cur inflammato utero, fœtus nō corrumpitur. An, quod ab Hippocrate dicitur, aliud est: Neq; n. q; nunq; ad māmas duras corruptio fœtum sequatur, putandum est fuisse ab Hippocrate dictū, sed q; non semper, quemadmodum in tenuibus: uerum, si ad alterum locum natura reponat superfluitates, (quod ex dolore cognoscimus) corruptio non sequitur. Et fieri rursus, si ita intelligamus, sermo talis: In mulieribus, quæ fœtum corrupturæ sunt, semper mammæ extenuatae præcedunt: duræ aut̄ ac plenæ, nō semper. Omnino n. in his ad alteram partē materiam inutilem natura reponit. Si uero ad uteros ipsam expellat, fient & tunc omnino tenues. Nam secundum Hippocratis (ut appareat) sententiā, etiam si propter aliud quicquam, & non ob defectum alimenti abortus fiat, omnino præcedet māmarū gracilitas, ob causam antedictam. quare, etiamsi ob acetabulorum humiditatem conceputus effluet, tunc etiam ipsum natura expellente ad excretionem, motio sanguinis erit ad uteros, & hac ratione mammæ fient graciles magis, quam prius erant.

54 Quibus os uteri durum est, ijs uteri os comprimi est necessarium.

Dictum est & antea, q; os uteri comprimi, commune est signum & tumoris alicuius in eo preter-

**A** ter naturam existentis, & conceptionis in muliere, & q̄ oportet id ex duritie distinguere. Grauidis n. molle est, & secundum naturam: Durum autem, in quibus est tumor præter naturam, siue sit inflammatio, siue tumor durus. Melius itaq; fuerat hunc Aphorismum post illum scribere, in quo dicebatur, Quæcunq; utero gerunt, ijs os uteri compressum est.

**55** Quæcunq; utero gerentes à febribus corripiuntur, & fortiter calefiant sine occasione manifesta, difficulter pariunt, & cum periculo: aut abortum facientes periclitantur,

Accidit quibusdam grauidis, in quibus uitiosi humores prius, quam conceperint, sunt aceruati, non nunquam à febribus uehementibus coripi, adeo ut ex necessitate abortiant: non nunquam uero à mediocribus quidem, sed cum nō purgentur sufficienter, aliquid supereft reliquiarum humorum in corpore uitiosorum, ex quibus febres erant institutæ, utpote non potentibus medicis mulieri grauidæ aliquod uralidum auxilium adhibere, aut exquisita uictus ratione in ipsis uti. Ob hanc igitur causam febris in ipsis frequenter reuertitur, & maxima temporis parte grauiter se habent. Non sine ratione igitur foetus aliquando nequit obsistere, sed à febribus & uito humorum corruptitur: non nunquam uero perdurat quidem usque ad tempus partus, sed, cum & ipse uale tudinarius sit, ut qui longo tempore laborauerit, & matrem habeat imbecillem, non sine periculo paritur. Nam ad bonum partum, duorum corporum uigore est opus, & grauidæ mulieris, & infantis.

**56** In fluxu muliebri si conuulsio & animi defectus aduenerit, malum.

Non statim fluxu constituto hæc fiunt, sicuti nec aliorum ullum, quæcunq; in sequenti sermone quibusdam alijs ait aduenire, sed cum uel uehementior fuerit, uel diu perdurauerit. Defectus quidē animi, communis omnis immodicæ euacuationis est casus: conuulsio uero, et si non communis existat, ad plurimas tamen ex ipsis cōsequitur, & magis, si pars, quæ patitur, neruosa fuerit.

**57** Si menstrua plura fiant, accident morbi: & si non fiant, ex utero morbi contingunt.

Quibusdam medicis uisum est ex multitudine quidem multis fieri morbos, ex defectu autem nullum. Verum Hippocrates arbitratur etiam ob defectum fieri aliquando morbos, non solum in mulieribus, sed etiam in uiris. Siquidem ad defectus consequitur aliquando siccitas, aliquando frigiditas, aliquando utrumque. Ostensum autem est, quod intemperaturæ, quæcunq; tantam habent magnitudinem, ut possint iam lädere operationem, sunt ex morborum genere. Verum, quantum ad hoc, neq; falsum, neq; obscurū est quiq; ab Hippocrate dictum, Quatenus autem, in pluribus quidem menstruis simpliciter dixit fieri morbos, neq; ex utero, adiecit in defectu autem eorum istud adiunxit, dignum est inquisitione, nunquid in utrisq; affectibus dictis, communiter, ex utero, subintulerit, an tantum hoc proprium sit defectus menstruorum. Hoc autē scire exquisire, est impossibile, nisi omnes nouerimus causas, ob quas uel plura, quam opus sit, uel pauciora ueniant menstrua. Possibile est igitur immodicas fieri menstruorum euacuationes, si ora uasorum, quæ pertingunt ad uterum, ultra modum aperiāntur: & si sanguis uel calidior, uel tenuior fiat: & si totum corpus propter malum habitum aliquem aggrauetur sanguine, quem, licet modum naturæ conuenientem non excedat, expellit ad uenas, quæ in utero sunt, ut in rheumaticis dispositionibus accidit ex una parte ad aliam. Eadem uero menstrua possunt fieri pauciora, uel quia ueñae ferentes ad uterum menstruam purgationem, comprimuntur: uel obstruuntur ob crassitatem sanguine, siue frigiditatem et robur ipsorum, quæ in utero sunt, uasorum, adeo ut, quod influit, nō admittant. Quodcumq; autem horū fuerit, necesse est processu temporis & ipsum uterum pati aut similem inflammationi dispositionem, aut erysipelati, aut duro tumoris, aut cancro: quibus denuo totū compatitur corpus. In immodicis uero euacuationibus nulla talis accidit uteris passio, adeo ut per compatiendi rationem totum corpus unā laboret. quare fit uerissimum in sola retentione menstruorum dixisse Hippocratem morbos contingere ex utero.

**58** Recto intestino aut utero inflammationem patiente, urinæ stillicidium superuenit: & renibus purulentis urinæ aduenit stillicidium. hepatis autem inflammationem patienti singultus aduenit.

Quando alius parum, & frequenter mingit: hæc passio, urinæ stillicidium nominatur. & fit aliquando ex imbecillitate potentiae retentivæ in uesica, non nunquam uero ex acritudine urinæ. imbecillitas ergo fit propter intemperaturam, & aliquem tumorem præter naturam: acritudo autem uel propter renum passionem, uel quia talis ad ipsos uenit ex uenis superfluitas serosa percolata. Recte itaq; Hippocrates inquit urinæ stillicidium recto intestino, & utero inflammationem patiente, & renibus suppuratis aduenire: In recto quidem intestino & utero, per compatiendi rationem uesica patiente: in renibus autem purulentis, pure per uescicā evacuato. Hoc igitur sui acritudine mordens uescicam, excitat ad excretionem: In uteri autem uel recti intestini inflammatione, vicinitatis ratione pati uescicam est necessarium, ut quæ & intemperaturam participet & inflammationem, & præterea prematur atq; angustetur à tumoribus præter naturam, qui in illis existunt. Dictum autem est à me etiā prius, quod nō simpliciter alterius passio alteri superuenire apta est, sed ijs, quæ magnitudinem habent effatu dignam. Sic igitur & hepati inflammationem patienti singultus

# GALENI IN APHORISMOS HIPP.

54

singultus superuenit propter neruorum communicationem, non quidem semper, sed quando ad E maximam attollitur inflammationem.

59 Si mulier non concepit, scire autem uelis, si conceptura sit, pannis circunctam desubter suffias: & si odor uideatur per corpus ire ad nares & os, scito, quod ipsa non ex seipsa sterilis est.

Verbum, suffias, materiam indicat, quae naturam habet, ut suffiri possit, thus uidelicet, & myrram, styracem, & quæcunque alia talia, quæ calidam habent temperaturam, & sunt satis odorata. Vult enim in totum corpus ferri uim, quæ ab ipsis manat, ut, cum & os & nares attigerit, à muliere manifeste sentiatur. In ijs igitur solis totum non peruadet corpus qualitas suffitorum, quibus durum est ac densum uteri corpus. cum uero sit tale, non est aptum ad conceptionem: sicuti et paulopost ipse inquiet: Quæcunq; frigidos habent uteros & densos, non concipiunt. Quod autem in fine Aphorismi scribitur: Scito, quod ipsa non ex se ipsa sterilis est indicat eius rei usum. Sapientius enim ut permaneat genus alicuius sacerdotis, uel regis, student ciuitates, ut prolem habeat mares, seu foeminas in quibus uel solis genus consistat. atq; ita, ubi mulieres non concipiunt, queritur, utrius causa hoc accidat, ut facto diuortio mulieres concipient, & hanc Plato in Theæteto innuit esse bonarum pronubarum artem. Totus autem sermo dicetur paulopost, quando omnes expofuerimus, qui ad ipsum pertinet, Aphorismus.

60 Si mulieri utero gerenti purgationes eant, impossibile est foetus esse sanum.

Et uerbum, purgationes, numero plurali dictum, & ipsi uerbum, eant, adiunctum, ostendit non esse paucum illum, qui excernitur sanguis, neq; semel, sed saepius, & multum. Qui enim semel aut bis paucus excernitur, in multis apparet absq; hoc, quod foetus quippiam patiatur. Cum uero nihil deficit multitudini purgationis menstruorum, & seruat deinceps terminum circuitum per menses, impossibile est foetus esse sanum. siquidem ille, qui fortis est, ad sui alimentum abutitur sanguine, q; ex toto corpore ad uteros fertur. Excretio uero, quæ in grauidis fit, uidetur ex uenis, quæ in collo sunt, apparere. Nam ab interioribus, quæ sunt in cavitate uteri, secundæ pendent, quare nihil per illas potest in muliebrem sinum excerni.

61 Si mulieri cessent purgationes, neq; horror neq; febris superueniat, & fastidia incident: iudica ipsam in utero habere.

In ijs, quæ recte purgantur, mulieribus, & quibus repente sine causa manifesta supprimuntur purgationes, sermonem fecit Hippocrates, docens nos ea, quæ plurimæ mulieres ipsa experientia dicerunt. Cum enim fastidium patiuntur menstruis suppressis, tunc se concepisse coniiciunt. Fit autem fastidium eadem, qua pica, ratione, læso ore uentriculi in mulieribus grauidis. Interdu autem contingit & propter uitiosos humores totum corpus occupantes, tale aliquid accidere. uerū hoc cum horrore & febre patiuntur, & his distinguunt a grauidis.

62 Quecunq; frigidos & spissos uteros habent, non concipiunt. Et quecunq; prahumidos uteros habent, non concipiunt. extinguuntur enim in eis genitura: Et quecunq; sicclos magis & adurentes. nam ex defectu alimenti corruptitur semen. Quecunq; uero ex utrisq; mediocrem habent temperaturam, ea fecundæ sunt.

Si mihi liceret omnibus Aphorismis ordinem congruentem apponere, non essem ueritus pauci ante dictum Aphorismum in huc locum transferre: ut finito sermone de purgationibus, ille, qui de ipsis esset uteris, deinceps scriberetur, docente ipso, quot modis mulieres steriles fiant. Primus igitur in ipsis erit Aphorismus, in quo dixit, Si mulier non concepit, scire autem uelis, si conceptura sit, pannis circunctam desubter suffias. Secundus autem iste, qui nunc est nobis propius: cuius summa est, quod bene temperati uteri ad conceptionem sunt idonei: male autem temperati, si parum à bonitate recedunt, difficulter concipiunt: sì nimum, mulieres steriles reddunt. ita ut simul etiam detur intelligi, unde uiri sint steriles. sed hoc multos latet. Qui uero ea, quæ dicta sunt, diligentius considerat: primum quidem sciet, quam ob causam & quidam uiri omnino H steriles sunt: Secundo loco, post hoc de uiris quidem ac mulieribus bonam habentibus temperaturam, q; semper generabunt, etiam si cum malam habentibus coeant: De habentibus autem malam temperaturam, q; cum solis contrariam temperaturam habentibus coeentes, gignent. Prius autem dicitur de mulieribus sterilibus, quarum uterus statim ab initio est male temperatus, exuperante scilicet uel una primarum qualitatum, uel duabus: quemadmodum in commentarijs de temperaturis determinauimus, ostendentes octo esse numero omnes intemperaturas, simplices quidem quatuor, quarum & nunc Hippocrates meminit, compositas autem alias quatuor, his simplicibus inuicem complicatis. Vbi igitur immoda frigiditas exuperat adeo, ut uterus spissior efficiatur, angusta quidem sunt summopere in ijs ora uasorum, quæ ad ipsum pertingunt: mulieres uero steriles redundunt, cū secundæ non possint uasorum orificijs adnasci, neq; si hoc fiat aliquā, possit bene nutriti conceptus. uel enim nullo modo fuit in hisce mulieribus purgationes, uel omnino paucæ, & haec ipsæ uitiosæ, solo tenuiore atq; aquosiore sanguine perlabente. Sed & haec quoque ora facile obstruuntur cū propter nativam angustiam, tum quia magna ex parte haec mulieres humorē aggregant pituitosum. siquidem & corpus totum ut plurimum est uteris simile. Contingit autem et maris semen in talibus uteris refrigerari, nisi sit natura calidissimum. De prima itaq; frigida tem peratura

A peratura Hippocraes fecit mentionem, inquiens, Quæcunq; frigidos & spissos uteros habent. Non per Iouem uolens simul coniungere in ipsis cum frigiditate densitatem, ueluti si siccitatem aut humiditatem addidisset. Harum enim neutra semper, consequitur frigiditatem: & propterea ipsi modo una, modo altera adiungitur. Densitas uero ex necessitate ualde frigidos uteros comittatur, ob quam non possunt concipere, ut diximus. Quare ita sermonem totum huius Aphorismi accipiemus. Quæcunq; frigidos uteros habent, non concipient, propter substantiam ipsorum spissitudinem. Cur uero spissitudo aduersetur conceptioni, dicere prætermisit, ut nobis potentibus intelligere. Et quæcunq; uteros nimis humidos habent, non concipient, extinguitur enim genitura, quemadmodum in terra palustri cerealia semina. Et quæcunq; siccios siue adurentes habent uteros, propter defectum alimenti non concipient. Nam in siccis uteris tale quiddam accidit, quale, ubi aut arenæ, aut argilloso terræ, aut petroso mandantur semina. In habentibus autem immodicam caliditatem, quale, ubi ualde calidae terræ semina committuntur, quemadmodum in æstibus sub Cane cottingit. Sic itaq; quatuor qualitatum Hippocrates meminit, singulorum seorsum facultatem exponens: ut, si quando inuicem misceantur, manifesta sit earum commixtio. Post hec autem inquit, Quæcunq; uero ex utrisq; modice temperata sunt, fœcunditatem habent. Ex quibus autem utrisq; nō profecto ex qualitatibus, (sunt enim quatuor) sed, quæ sunt secundum ipsas, oppositionibus. Sicuti enim dictum est in libris De temperaturis, una quidem est bona temperatura, multis modice inuicem calido ac frigido, altera uero humido ac siccо. & fieri potest, ut sit aliquis uterus secundum unam quidem oppositionem bene temperatus, secundum alteram uero, male. Sed, ne mulier concipiatur, potest uel altera efficere intemperatura. Mulierem uero esse fœcundam, sine ambabus bonis temperaturis est impossibile. Hippocrates itaq; sicuti totum sermonem anteriorem de mulieribus scripsit, sic & nunc dictum de ijs, quas habent uteri, temperaturis conscripsit, nec tamen addidit de uiris sermonem, uel quia promptum nobis sit ex ijs, quæ dicta sunt, easdem intemperaturas ad semen transferre, uel quia distulit in posterum, sed postea oblitus est. Quidam tamen alterum deinceps Aphorismum de maribus ascripsere, cuius initium est, Similiter & in maribus. Sed probatissimi Aphorismorum expositores aiunt ipsum ab Hippocratis mente & elocutionis modo maniferte deficere. Ac proculdubio ad proportionem illorum, quæ de mulieribus Hippocrates scripsit, licet nobis ad uiros transfeuntibus dicere, q; uel propter temperamentum frigiditatem non bene semen concoquitur: atq; ideo, si mediocris sit intemperatura in ipso, indiget utero calido sufficienter. Si inmodica sit, est omnino infœcundum, uel propter humiditatem cursus non concoquitur: & hoc etiam indiget, si modica sit intemperatura, utero calidiori ac sicciori: si inmodica, infœcundum est. Eodem modo & propter excedentem calorem semen sit tosto simile. Ob siccitatem uero, ubi primū excidit, neq; extendi potest: quod maxime est necessarium, si mulier debeat concipere. Ostensum est enim in libris De semine, nisi per uteri cauitatem parte plurima semen extendatur, mulierem non concipere. His igitur ueluti quibusdam elementis à nobis astrictis, deinceps dicamus id, quod pauloante dicere distulimus, quod etiā à Platone in Theæteto proponitur. Inquit. n. hoc esse maximū opus obstetricum, scire coniungere inuicem corpora apta ad conceptionem, quod nunc in sermone dictum est: & simul posse discernere, qui uiri sint infœcundi, & quæ mulieres steriles. Nam inmodicæ intemperaturæ, horum sunt causæ: Modicæ uero si sint, & contrarijs coniungantur, tunc concipient mulieres: si uero similibus, non concipient. Neq; enim fieri potest, ut frigidius semen in utero frigidore sit fertile, quemadmodum neq; siccus in sicciori: idem & de duobus alijs sentiendum: sed indiget semen quidem frigidius, utero tanto calidiore, quando deficit ab optima temperatura: & humidius siccior: eodem modo & in alijs. Cognitio autem omnium inmodicarum uteri intemperaturarum est, quam pauloante dixit Hippocrates in suffitu, qui per aromata fit. Frigiditas enim spissitudinis ratione nō permittit usq; ad os & nares ferri aromatum exhalationem: eodem modo et siccitas. Humiditas uero sicuti ab ipso dicta est extinguere genitaram, sic & aromatum qualitatem. Reliqua est uehemens caliditas, quæ ea ratione, qua uincit aromatum facultatem, alterat atque corrumpit: ac propterea non permittit ipsam seruantem suæ naturæ sinceritatem, ad os & nares ferri. De hisce etiam naturis suffitus aromatum sufficientem cognitionem praestabit: qui si eam præstare non sufficiet, ex alijs indicijs nobis erit talis natura inuestiganda, hoc ipsum primū cognoscentibus, q; rara admodum est huiuscmodi temperatura in mulieribus. siquidem fœmina est mare natura frigidior. Unde ob hoc ea, quam facit Hippocrates, ex aromatum suffitu dignotio, in sterilibus mulieribus utrissima est, uel quia omnis inmodica intemperatura isti subiectur, uel quia rarissime una ipsam subterfugit in mulieribus illis, quæ tenues apparent, nigræ, & hirtæ: ita ut ex his percipiatur earum inmodica intemperatura sine suffitu aromatum.

<sup>63</sup> Similiter autem & in maribus. Aut enim propter corporis raritatem spiritus extra fertur, ut semen non transmittatur ad os: uel propter spissitudinem humor non exit foras: uel propter frigiditatem non concalscit ita, ut ad hunc colligatur locum: uel propter caliditatem hoc idem accidit.

Qui hunc interposuit Aphorismum: neq; proprias uoces intellexit. Nam, cū profiteretur eundem

dem in utris sermonem se facturum, sicut Hippocrates in mulieribus scripserset, non fecit hoc. Cū enim ille de quatuor intemperaturis fecisset mentionem, oportuit hunc etiam quatuor in mari- bus, ut nos fecimus, in medium adducere: uerum non sic iste, sed primum quidem corporis rarita tem statim damnat, quæ in mulieribus fuit prætermissa. deinde nec eius sermo, si ipse seorsum diligenter exanimetur, uerus deprehendetur. Conspicitur siquidem uiri non pauci, qui, licet cor pus rarum habeant, semen tamen habent fœcundissimum. neq; id mirum. Raritas siquidem corporis in calidioribus unā atq; humidioribus prouenit temperaturis, quæ potissimum plurimo se mine & fœcundissimo abundant. Nam & materiam habent, ex qua semen generatur copiosum, & uim, à qua concoquitur. Eiaculatur autem semē uasorum seminalium intētione compressum, non spiritus occursu propulsum. siquidem substantia spiritualis cum humore miscetur semenis, quæ & ipsa indiget experimentibus, sicut & humor: qui tantum siccum superexcedit, quanto & celerius foras ejicitur, & ad longius spatium fertur. Hæc igitur sunt ab eo ignorata, qui Aphorismum adiecit, & præterea cum ait humorem propter spissitudinem nō exire foras. Si enim alium humorem à semine dicit, sermo delirus est. Si uero ait semen propter corporis totius spissitudinē non exire foras, ignorat omnino, quæ sit structura instrumentorū, quæ seminaria vocantur. melius enim fuerat ipsorum causari angustiam. Sed &, quod deinceps est dictum, usq; ad aliquid ue- rum, non habet id, quod sequitur, intelligibile. Nam, q; propter temperaturæ frigiditatem semen non concalscat, ac propterea sit infœcundum, uerum existit: q; autem colligi nequeat ad locum hunc, superfluo adiectum est, præter id, q; neq; locus ab ipso explicatur, sed a nobis intelligendus relinquitur: & tamē id uerbum, hunc, ad ea, quæ prius dicta sunt, habet relationem. Sed hæc qui- dem parua sunt: Qui uero circa finem error, est magnus, cum dicat propter ipsius caliditatē hoc idem euenire, nam manifeste ad illud, quod antea dictum est, sermo iste resertur. Dictum autem antea fuit, q; propter frigiditatem non adeo concalscat, ut ad hūc locum colligatur. Quare propter calorem oportet intelligere non concalscere, neq; colligi in uasis seminarijs semen. Hoc au- tem est aperte absurdum. Nam torri, aut assari, aut tale aliquid semen pati propter calorem, ra- tionem habet: non concalscere autem, est omnino perabsurdum,

**64** Lac dare caput dolentibus malum: malum uero & febricitantibus, & quibus hypochondria suspensa murmurant, & fiticulosis: malum autem, & quibus in febris acutis biliosæ sunt deiectiones, & quibus sanguinis multi deiectioni facta est. Conuenit autem & tabidis dare, qui non ualde multum febricitant: & in febris longis, & paruis, si nullum ex supra dictis signis affuerit, & preter ra- tionem consumptis.

G

Quod lac facile alteretur, & q; duplarem habeat alterationem, quando pluri quidem adhæret calori, statim in nidorem abiens: quando autem paoco, cito acescens: tibi licet perdiscere, partim statim, cum ex mammis excidit, ad ignem elixanti: partim ipsum iacere per seipsum permittenti. Nam & elixatum in nidorem abit, & sibi dimissum omnino acescit, cito, uel tarde. Sic autem & in sanis, si non bene concoquatur, in quibusdam acescit, in quibusdam autem in nidorem abit. in uentriculo quidem frigidore prorsus acescit, in calidore uero in nidorem abit. Lac uero bene cō coctū nutrit, & bonos facit humores: &, dum cōcoquitur, pariter attollit hypochondria, ac caput petit. Hos effectus & passiones in sanis etiam uidebis. Verum, quæ ægrotis accidunt, percurrit Hippocrates: quæ semper quidem experiri uolentibus manifestantur: & possunt etiam ante ex- perientiam cognosci. Vbi enim in ijs, qui integra sanitate fruuntur, uidemus lac capiti dolorem afferre, & hypochondria inflare: non est admirabile colligere, q; ijs, qui iam caput dolent, uel su- spensa habent hypochondria, sit inimicissimum. Recte autem dixit hypochondria suspensa, licet dicere potuerit inflata & flatuosa. Neq; enim hæc sola potest lac offendere, sed & alia omnia, quæ sunt quoquis modo suspensa, propter aliquam talem, qualis est inflammatio, uel erysipelas, uel tu- mor prædurus uel lassus, passionem. Adhuc autem magis, si abscessus nondum sit in hypochon- dro disruptus, est enim his etiam lac inutile. Hæc itaq; omnia uno uerbo significat Hippocrates, inquiens, hypochondria suspensa. Nocere autem ait & murmurantibus lac, quæ alia sunt ab infla- tis & distentis. flatuosa siquidem ac uentosa & hæc sunt. Maior itaq; offensio distentis hypochon- drijs obuenit, minor uero murmurantibus: sed tamē his quoq; lac est inutile. acescit enim in ipsis. Serum tamen lactis sale & melle condientes, plurimis talibus exhibuimus, qui & iuuati sunt eo- rum alio subducta. Sitizenibus quoq; malum inquit lac esse. evaporat enim in ipsis, siue natura fiticulosi sint, siue ex aliqua occasione fitis aduenerit. Et biliosa deñcientibus, in quibus etiam di- cerem ipse lac in nidorem abire: non minus, quam in ijs, qui talia euomunt. Nam in uniuersum di- dicimus quā celerrime ab omnibus causis calidis lac ad nidorosum alterari. Rationabiliter itaq; & ijs, qui acute febricitant, nocet. mihiq; uidetur sermo melius in hunc modum se habere: Malū autem, & quibus biliosæ deiectiones, & acutis febris. Neq; enim ambobus simul iunctis tan- tummodo noxium est lac, sed seorsum in utroq;. His igitur passionibus lac plurimum aduersatur. Vtile autem est ijs, quæ sequuntur, de quibus est ab Hippocrate scriptum in hunc modum: Con- uenit autem tabidis non ualde febricitantibus dare. Nam primum de tabidis facit mentionem. Intelligendum autem est ipsum ita nominare illos, qui tabem ex ulcere pulmonis patiuntur. Nam alios